Quelle: http://manuscripta.at/?ID=459
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

meruerunt. Sequentes autem portant et vident, quia fideles qui post adventum in carne subsequuntur sacramentum passionis eius et per fidem suscipiunt, et per revelatam iam cognitionem agnoscunt. Unde Beda in eandem quaestionem unum inquit idemque dominicae incarnationis prophetae et Moyses quod apostoli noverant et praedicabant. Sed hi aliquotiens figuratis velatisque sermonibus, apostoli autem apostolorumque successores patefacta luce evangelii semper aperte praedicabant, ita ut nunc omnis populus christianus scire et confiteri debeat fidem quam eo tempore pauci admodum et perfectiores quique noverunt, quamvis omnis dei populus in tota eiusdem mysteria fidei in legalibus typice portaret.

Recapitulatio supradictorum. VIII.

Duo ergo sunt in quibus constat vera fides, creator et redemptor. Unum tibi sine altero non sufficit. Utrumque agnosce, utrumque confitere. Si creatorem credis, agnoscis quod factus es. Si redemptorem confiteris, agnoscis quod reparatus es. Unus est creator et redemptor. In suo te fecit, in tuo te refecit, et utrumque unus est. Si ipse te fecisset, et alter te refecisset, deberes illi quod factus es, et deberes alteri quod refectus es. Et esset divisa intentio tua, et dilectio tua, et obedientia tua, et non esses unius totus. Et e duobus illum plus diligeres a quo plus haberes. Qui autem creavit te, dedit tibi esse. Qui redemit te, dedit tibi beate esse. Propterea ne plus a te diligeretur alter quidam redemptor quam ipse creator, voluit ipse creator esse redemptor, et sustinuit tuam passionem, ut emeret tuam dilectionem. Missus est naturalis filius pro adoptandis, quia sine ipso alieni introducendi non fuerant in hereditatem. Venit sapientia, ut hostis non potestate sed ratione vinceretur. Et in his omnibus fides tua in uno constat et ad unum et una, quia cum duo nominantur unus significatur, quoniam unus est creator et redemptor. Creator ad naturam, Salvator ad gratiam. In his duobus tota est et unum. Hoc est in quo ab initio fides credentium una est, quamvis in eadem fide in aliis maior, in aliis minor de istis cognitio fuerit secundum diversitatem temporum. Sicut uno et eodem tempore in aliis maior, in aliis minor invenitur cognitio de his ipsis secundum capacitatem personarum. Cuius ergo fides crevit ut aliquando in aliquibus maior esset, non tamen mutata est ut alia esset. Sed omnes una fide unum crediderunt et omnes una fide iustificati sunt, qui iustificari meruerunt. Sine fide enim, ut ait apostolus, impossibile est placere deo. Et sicut dicit beatus Augustinus: ubi fides non erat, bonum opus non erat.

De sacramento fidei et virtute. VIIII.

Sacramentum fidei dupliciter intelligi potest. Sacramentum fidei vel ipsa fides intelligitur, quae sacramentum est. Vel sacramenta fidei intelliguntur, quae cum fide percipienda sunt et ad sanctificationem praeparata sunt fidelium. Habent et quaedam sacramenta militaria dicuntur, quibus milites in sua deditione imperatori suo ad fidem conservandam obligantur. Et infideles quoque sacramenta quaedam habent, quae sacramenta dicuntur, quamvis nec sacra sint nec sacrae rei signa, sed execrationes quibus non sanctificantur homines sed polluuntur. Tamen ad horum differentiam sacramenta fidei dicta intelligi possunt.